



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Felicis Potestatis Panormitani Ordinis Minorum S.
Francisci de Observantia ... Examen Ecclesiasticum**

Potesta, Felice

Coloniæ, 1712

Cap. I. De Religione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40060

PARS SECUNDA

De decem Præceptis Decalogi.

166 **N**omine *Decalogi*, venit sacrum volumen decem præcepta divina complectens, quæ habentur in *Exod cap. 20.* quorum tria priora dicuntur, *prima Tabula*, septem posteriora, *secunda Tabula*, quatenus illa Deum, ista Proximum immediatè respiciunt.

167 Decem Præcepta Decalogi sunt divina naturalia, adeoque observanda etiam cum periculo vitæ: *v. n. 143. & 125.* Alia sunt negativa, quæ prohibent aliquid fieri; hæc obligant semper, & ad semper, ut *non adorabis Deos alienos, non occides, &c.* alia positiva, quæ præcipiunt aliquid fieri; hæc obligant semper, at non ad semper, sed ad locum, & tempus: ut *honora parentes.*

DE I. PRÆCEPTO DECALOGI

Unum Cole Deum.

CAPUT I.

DE RELIGIONE.

168 **R**eligio est virtus moralis hominem inclinans, ut Deo debitum cultum exhibeat: tanquam omnium Creatori, & Domino.

Ejus actus tam interiores, quam exteriores præcipui sunt, Adoratio, Sacrificium, Oratio, Juramentum, Adjuratio, & Votum.

A D O R A T I O

169 **E**t actus, quo alium reveremur, ipsi nos submittendo tanquam Superiori, in recognitionem suæ excellentiæ.

Est triplex: *Latria*, quæ est in Deum, ob excellentiam increatam: *Dulia*, quæ est in Sanctos ob excellentiam creatam communem: Et *Hyperdulia*, quæ est in Beatissimam Virginem ob excellentiam creatam singularem, cæteris supereminentem.

270 Hæc triplex adoratio, alia est absoluta, quæ convenit Deo, Virgini, & Sanctis per se venerabilibus; alia respectiva, quæ convenit Cruci, Imaginibus, Vestibus, & similibus ratione carentibus, quæ non per se coluntur, sed propter aliud, Unde eorum veneratio non sistit in illis, sed ad prototypum refertur, cuius sunt imagines, aut quod representant.

271 Licitum est votis, & alio cultu, privato tamen, puta genuflexione, deosculatione, &c. & ut privatam personam venerari sepulchra servorum Dei eximie Sanctitatis, de quibus est indubitata miraculorum fama. Gobat. *tom. 3. de voto nu. 401.* quia id practicum legimus cum illis, qui postea Sancti declarati sunt.

272 At non licet cultu publico, v. gr. erectione Altaris, Sacrificio Missæ, horis Canonicis, & thure, appendendo tabellas, lampades, cereos accendendo, &c. velut personam publicam, aut nomine Communitatis, quia id prohibetur maxime ab Urb. VIII. qui etiam in specie prohibet, *Eorum imagines in Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus* proponi Alberghinus in *Man. qualif. cap. 30.*

273 Sacrificio Missæ Deum colunt Sacerdos, ac cæteri assistentes, & cum Sacerdote offerentes. De eo actum est fuse in tom 3. De aliis Religionis actibus plenè agimus in hoc primo tomo.